



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Idem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

PATARENORVM receptatores, & complices, & quocunque modo fautores, qui vt à pena alios possint eximere, de se vel vt improvidi nõ formidat publicatis bonis omnibus relegandos in perpetuum esse censemus. Et ipsorum filij ad honores aliquos nullatenus admittantur. Si tamen aliquis fautorum huiusmodi detexerit aliquem Patarenum, de cuius perfidia manifestè probatur, in fidei premium quam agnouit, famæ pristinae de Imperiali clementia restitutionis beneficium integrum consequatur.

INCIPIUNT CAPITVLA CONSTITVTIONIS

contra Patarenos edita, per eundem Fredericum Illustrum virum Romanorum Imperatorem semper Augustum, Hierusalem, & Sicilia Regem.

CATHAROS, Patarenos, Speronistas, Leonistas, Arnaldistas, Circuncisos, Passaginos, Iosepinos, Garatenfes, Albanenses, Franciscos, Bagnarolos, Commixtos, Vvaldenses, Roncarolos, Communellos, Vvarinos, & Ottholenos, cum illis de Aqua nigra, & omnes hæreticos vtriusque sexus quocunque nomine censeantur perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus, censentes vt bona talium confiscentur, nec ad eos vltierus reuertantur: ita quòd filij eorum ad successiõnem peruenire non possint, cum longe sit grauius æternam, quam temporalem offendere maiestatem. Qui autem inuenti fuerint sola suspitione notabiles, nisi ad mandatum ecclesiæ, iuxta considerationem suspitionis, qualitatemque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, tanquam infames, & banniti ab omnibus habeantur; ita quòd si per annum permanserint, ex tunc eos sicut hæreticos condemnamus. Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, vt potestates, & consules, seu rectores, quibuscunque fungantur officijs, pro defensione fidei præstent publicum iuramentum, quòd de terris suæ ditioni subiectis, vniuersos hæreticos ab Ecclesia denotatos, bona fide pro vitibus exterminare studebunt: ita quòd amodo quodcunque quis fuerit in perpetuum potestatem, vel temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare: alioquin neque pro potestatibus, neque pro consulis, seu consimilibus habeantur: eorumque sententias ex tunc decernimus inutiles, & inanes. Si vero dominus temporalis requisitus, & monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica prauitate, post annum à tempore monitionis elapsum, terram ipsius exponimus catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, absque vlla contradictione possideant, & in fidei puritate conseruent: saluo iure dominiij temporalis: dummodo super hoc nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat eadem nihilominus lege seruata eos qui non habent dominos principales. Credentes præterea, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum bannimus: Statuentes, vt si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, extunc ipso iure sit factus infamis, & ad publica officia seu consilia, vel ad aliquos eligendos huiusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, vt nec testamenti liberam habeat factionem; nec ad hæreditatis successiõnem accedat. Nullus ei præterea super quocunque negotio, sed ipse alijs respondere cogatur. Quod si iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, eius instrumenta coniecta per manum ipsius nullius penitus sint momenti. Adijcimus insuper, quòd hæreticus per hæreticum conuinci possit, & quòd domus Patarenorum, receptatorum, & defensorum, & fautorum, siue vbi docuerint, siue vbi alijs manus imposuerint, destruantur, nullo tempore restituentur. Datum Paduæ xxij. Februarij, xij. Indictione.

Rex regum. Apostatantes à fide catholica penitus execramus, insequimur vltionibus, bonis suis omnibus spoliamus. Et vt à professione vel vita naufragantes legibus coarctamus. Successiões tollimus ab eis omne ius legitimum abdicamus. Dat. Perusij xi. Kalen. Nouemb. Pontificatus nostri Anno primo.

Tyb. de Cur.

I D E M.

Innocentius III. Pontifex Maximus Anno Domini. 1252. ad extirpandas hereses, copiosas ac saluberrimas constitutiones edidit, quas direxit ad ciuitatum magistratus seculares, iubens vt iuxta ordinem, & prescriptum earum aduersus hæreticos procederetur. eas constitutiones Alexander iiij. Anno Domini 1259. repetit, & confirmat rescriptoque suo pariter inserit: tandem Clemens IIII. Anno Domini. 1265. easdem cum quibusdam adiectionibus modificationibus, & declarationibus, etiam confirmauit, & suo bñe presentis rescripto inseruit.

Eas

Eas antea in hoc bullario imprimendas curauimus, sed destituti relicto authentico, in nonnullis est variatum: quare ut omnis procul abesset incertitudo, visum est iuxta veritatem originalis, illis sublati has authentica apponere.

Edita anno Do-
mini 1260.

Ex Archivo cõ-
uentus S. Fran-
cisci de Assisio.

CLEMENS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Potestatibus, siue Rectoribus, Consulibus, Capitaneis, Antianis, Consiliis, & Communitatibus Ciuitatum aliorumque locorum per Italiam constitutis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

AD extirpanda de medio populi Christiani hæreticæ prauitatis zizania, quæ abundantius solito succreuerunt, superseminante illa libentius his diebus homine inimico, tanto studio-
sius, iuxta commissam nobis sollicitudinem insudare proponimus, quanto perniciosius negligere-
mus eadem in necem catholici seminis peruagari. Ut autem aduersus huiusmodi nequitia opera-
rios confurgant, stentque firmiter Ecclesiæ filij ac orthodoxe fidei zelatores, Constitutiones quas-
dam felicis recordationis Innocentius Papa IIII, prædecessor noster ad extirpationem hæreticæ pe-
stis edidit, & in capitularibus vestris, tam ipse, quam felicis memoriæ Alexander Papa prædecessor
noster conscribi, ac à vobis exacta diligentia obseruari mandarunt: quæ seriatim inferius continen-
tur. Ideoque vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli constitutiones
eadem, cum quibusdam adiectionibus, modificationibus, & declarationibus, per dictum Alexan-
dram prædecessorem, & etiam per nos factas, conscribi in vestris capitularibus facientes, nullis inde
temporibus abolendas, secundum eas contra omnem hæresim, se aduersus hanc sanctam Ecclesiam
extollentem sine omissione aliqua procedatis; Alioquin dilectis filiis Prædicatorum, & Minorum or-
dinum fratribus Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, & eorum singulis per Italiam deputatis auctori-
tate Sedis Apostolicæ, & in posterum deputandis, damus nostris litteris in mandatis: ut infra designa-
tos eis limites, singulos vestrum ad id, per excommunicationem in personas, & interdictum in ter-
ram appellatione remota compellant.

Constitutiones autem hæ sunt.

Magistratus iu-
rent, quod leges
in hæreticos
latas obser-
uabunt.

Statuimus ut Potestas, Capitaneus, seu Rector, seu Cõsules, seu quibus alij, qui ciuitati præsent, vel loco alij ad præsent, aut pro tempore præfuerint in futurum in Italia, iurent præcisè ac sine tenore aliquo attendere inuiolabiliter, & seruare, & facere ab omnibus obseruari toto tempore sui regiminis, tam in ciuitate vel loco sui regiminis, quam in terris suæ ditioni subiectis, omnes & singulas infra-
scriptas constitutiones, & super his præcisè seruandis recipiet à quibuslibet sibi in potestaria, vel regimine succedentibus iuramenta. Quæ qui præstare noluerit, pro Potestate, Capitaneo, seu Consule vel Rectore nullatenus habeatur, & quæ ut Potestas, Capitaneus, Consul, vel Rector fecerit, nullam penitus habeant firmitatem. Nec ullus teneatur, aut debeat sequi eos, etiam si de sequela præstantia eis exhibuerit iuramentum.

Pena magistratuum non seruantium leges contra hæreticos latas.

Quod si potestas, Capitaneus, vel aliquis prædictorum constitutiones ipsas & singula in eis contenta seruare noluerit vel neglexerit, præter notam periurij, & perpetuam iacturam infamiae, ducentarum Marcarum poenam incurrat, quæ irremissibiliter exigantur ab eo, & in utilitatem communis cui præest, integrè conuertatur, & nihilominus ut periurus & infamis, & tamquam hereticorum fautor de fide suspectus, officio & honore sui regiminis spoliatur. Nec ulterius Potestas, Capitaneus, Consul, seu Rector habeatur in aliquo: aut de cætero ad aliquam dignitatem vel officium publicum vllatenus assumatur.

Hæretici banno supponantur.

Idem quoque Potestas, Capitaneus, Consules, Rector, vel quibus alij ad regimen cuiuslibet Ciuitatis, vel loci assumpti, in principio sui regiminis in publica concione more solito congregata, banno Ciuitatis, vel loci supponat, tamquam pro maleficio, omnes hæreticos vtriusque sexus quocumque nomine censeantur, & teneantur bannum huiusmodi à suis prædecessoribus positum confirmare.

Hæreticos qui libet capere possunt.

Præcipiant autem, quod nullus hæreticus, vel hæretica de cætero habitet vel moretur, aut subsistat in Ciuitate seu aliquo loco iurisdictionis, aut districtus eiusdem: & quicumque ipsum, vel ipsam inuenit, libere capiat, & capere possit impune, & omnes res mobiles ipsius, vel ipsorum penes eos inuentas eis licenter auferre, quæ sint auferentium pleno iure, nisi auferentes huiusmodi sint ad hoc officium specialiter deputati.

Ministri eligantur ad rapiendos hæreticos.

Idem quoque Potestas, Capitaneus, Consules, seu Rector, vel quibus alij huiusmodi, infra octo dies post introitum regiminis sui duodecim viros probos & catholicos, & duos notarios, & duos seruitores, vel quotquot fuerint necessarii instituere teneantur, quos diocesanus, si præsent extiterit, & interesse voluerit, & duo fratres Prædicatorum, & duo Minorum ordinum ad hoc a suis Prioribus & guardianis si cõuentus ibi fuerint eorundem ordinum deputati, seu Inquisitores, vel Inquisitor prauitatis hæreticæ duxerint eligendos. Instituti autem huiusmodi, & electi possint, & debeant hæreticos, & hæreticas capere, & eorum bona illis auferre, & facere auferri per alios, & procurare hæc tam in ciuitate, vel alio loco, quam in tota eius iurisdictione atque districtu plenarie adimpleri, et eos ducere, & duci facere in potestatem diocesanam, vel eius Vicarii, seu Inquisitorum, vel Inquisitoris.

Teneantur autem Potestas, Capitaneus, Consules, seu Rector, vel alij ad huiusmodi regimen deputati

A putati; quilibet in expensis Communis, cui præest, facere duci eisdem hereticos ita captos quocumque diocesanus, vel eius Vicarius, seu inquisitores, vel inquisitor prædicti in iurisdictione, vel districtu diocesani Episcopi, seu Ciuitatis, vel loci voluerint illos duci.

Expensis communitatis heretici capti deducantur. Officialibus fides adhibeatur.

Officialibus vero prædictis plena fides de his omnibus adhibeatur, quæ ad eorum officium pertinere noscuntur, sine aliquo specialiter præstito iuramento, vbi duo, vel tres, seu plures præsentibus fuerint ex eisdem.

Porro cum Officiales huiusmodi eliguntur, iurent hæc omnia exequi fideliter, & pro posse, ac super his semper meram dicere veritatem, quibus ab omnibus in his quæ ad officium eorum pertinent plenius pareatur, & tam dicti duodecim quam seruitores, & notarij prætaxati simul, vel diuisim plenariam præcipiendi sub pœnis, & bannis taxatis, & expressis in constitutionibus infra scriptis, quæ ad officium suum pertinent, habeant Potestatem.

Officiales iurent fideliter agere. Officialium potestas.

B Possint autem officiales prædicti Communitati, Castri, Burgi, seu Villæ præcipere sub pœna, & banno vsque ad ducentas Marchas argenti, & vltra ad arbitrium Potestatis, seu Rectoris ciuitatis, vel loci in cuius districtu, vel iurisdictione fuerint, quod Potestati, seu Rectori, vel diocesano, aut eius Vicario, seu Inquisitoribus, aut inquisitori hereticorum præsentent infra præfigendum eis terminum competentem, omnes hereticos, & hæreticas, quos & quas sibi dicti officiales duxerint assignandos. Et Potestas, seu Rector à non seruantibus præceptum, pœnam vel bannum huiusmodi exigere teneatur.

Potestas autem vel Capitaneus, Consules, seu Rector, vel alij huiusmodi quocumque vocabulo censeantur, teneantur habere firma, & rata omnia præcepta, quæ occasione officij sui fecerint duo ex ipsis, seu plures, & pœnas exigere non seruantium.

Quod si dictis Officialibus aliquo tempore aliquod damnum contigerit in personis, vel rebus pro suis officijs exequendis à communi ciuitatis, vel loci per restitutionem plenariam seruentur indemnes.

Officiales seruentur indemnes.

C Nec ipsi officiales, vel hæredes eorum possint aliquo tempore conueniri de ijs quæ fecerint, vel pertinent ad eorum officium, nisi secundum quod eisdem diocesano, & inquisitoribus, vel inquisitori videbitur expedire.

Ipsorum autem officium duret tantummodo per sex menses, quibus completis Potestas, vel quicumque ipsius Ciuitatis, vel loci regimini præfuerit, teneatur totidem subrogare officiales secundum formam præscriptam, qui prædictum officium secundum formam eandem in alijs sex mensibus sequentibus exequantur.

Officiales quanto tempore durent.

Sanè ipsi officialibus dentur de camera communis prædicti, quando exiuerint Ciuitatem, aut locum, pro hoc officio exequendo vnicuique pro qualibet die duo solidi Prouenien. Senatus vel Imperialium in pecunia numerata: quos Potestas, Capitaneus, Consules, vel Rector, aut alius huiusmodi teneantur eis dare, vel dari facere, infra diem tertium postquam redierint ad eandem Ciuitatem, vel locum.

Officialibus unde satisfieri debeat.

Et insuper habeant tertiam partem bonorum hereticorum, & receptorum eorum quæ occupauerint: & multarum, ad quas fuerint condemnati, secundum quod inferius continetur: Et hoc salario sint contenti.

D Sed ad nullum aliud, quod istud officium impediatur, vel impedire possit, vlllo modo officium, vel etiam exercitium compellantur.

Nullum etiam statutum conditum, vel condendum, eorum officium vlllo modo valeat impedire.

Et si quis horum officialium propter ineptitudinem, vel inertiam, seu occupationem aliquam vel excessum diocesano & fratribus supradictis visus fuerit amouendus: ipsum ad mandatum, vel dictum eorum teneatur amouere Potestas, Capitaneus, vel quicuis alius huiusmodi prædictorum, & alium secundum formam præscriptam substituere loco eius.

Officiales quando & per quos amouendi.

Quod si quis eorum contra fidem, & sinceritatem officij sui in fauorem hæresis deprehensus fuerit excessisse, præter notam infamiam perpetuam, quam tamquam fauor hereticorum incurrat per Potestatem, Capitaneum, Consules, vel Rectorem, seu alium similem ad diocesano, & diæcorum fratrum, vel inquisitorum, seu inquisitoris arbitrium puniatur.

Officialium ini quorum pœna.

E Potestas vero militem suum, vel alium assessorem, si diocesanus, vel eius Vicarius, aut inquisitores, vel inquisitor auctoritate Sedis Apostolicæ deputati, seu dicti officiales petiuerint cum ipsis: officialibus mittere teneatur, & cum ipsis eorum officium fideliter exercere.

Quilibet etiam si præsens in terra, uel requisitus fuerit, teneatur tam in ciuitate, quam in iurisdictione, & districtu quolibet dare ipsis officialibus, & eorum socijs consilium, & iuuamen quando voluerint hæreticum, vel hæreticam capere, uel spoliare, aut inquirere, seu domum, uel locum, aut aditum aliquem intrare pro hereticis capiendis sub librarum viginti quinque Prouenien. uel Imperialium pœna, uel banno: vniuersitas autem Castri, uel Burgi sub pœna, & banno librarum Quinquaginta. Villæ vero viginti quinque Prouenien. uel Imperialium pro qualibet uice soluenda in pecunia numerata.

Omnes præstet auxilium officialibus.

Quicumque autem hæreticum, uel hæreticam captum, uel captam auferre de manibus capientium, uel capientis ausus fuerit, uel defendere ne capiatur, seu prohibere aliquem intrare domum aliquam, uel Curtem, seu locum aliquem ne capiatur, & inquiratur ibidem, iuxta legem Pauli pro-

Pœna prohibitionis ne heretici capiuntur.

duę promulgatam per quondam Fredericum olim Romanorum Imperatorem publicatis bonis omnibus in perpetuum relegetur.

*Domus in qua
sunt heretici
destruatur.*

Et domus illa, a qua prohibiti fuerint, sine spe reedificandi funditus destruat, nisi forte diœcesano, vel in eius absentia ipsius Vicario vnâ cum inquisitoribus, seu inquisitore hereticorum, vel soli ipsi diœcesano quando inquisitorum, vel inquisitoris præsentia de facili haberi non poterit, legitime constiterit præfata domus dominum in hoc casu penitus innocentem, & prorsus inculpabilem extitisse: ac etiam eum non esse credentem, vel receptatorem, aut defensores, siue fautores hereticorum, seu de hæretica labe suspectum.

*Bona reperta
in domibus hæ-
reticorum ca-
pientium sūt.*

Et bona quę ibi reperta fuerint fiant capientium vel inquirentium, ac si heretici fuissent ibidem inuenti: nisi forte prædictis, (vt dictum est) legitime constiterit per testes fide dignos, & omni exceptione maiores, ipsa bona esse aliarum personarum, quàm Domini domus eiusdem.

Et tunc propter hanc prohibitionem, vel impeditionem specialem Burgus, vel Castrum componat communi, in cuius districtu est, libras Ducentas, & Villa libras Centum, & Vicinia tam Burgi quàm Castri, & Ciuitatis libras Quinquaginta Prouenien. siue Imperialium in pecunia numerata: nisi infra quintum diem ipsos defensores, vel defensorem hereticorum Potestati vel Rectori captos duxerint personaliter præsentandos: vel nisi forsan per legitimas probationes diœcesan. vel in eius absentia ipsius Vicario, vnâ cum inquisitoribus, seu inquisitore hereticorum, vel soli ipsi diœces. quando inquisitorum aut inquisitoris præsentia de facili haberi non poterit, plene ac euidenter constiterit, quod ipsum vel ipsos capere nullatenus potuissent: & eos ad captionem & præsentationem huiusmodi faciendas, sufficientem & congruam adhibuisse sollicitudinem & cautelam.

*Heretici seorsum
ab alijs in
carcere cu-
stodiuntur.*

Teneantur insuper Potestas, Capitaneus, Consules, seu Rector, vel alij huiusmodi omnes hereticos & hæreticas, qui capti amodo fuerint, custodiri facere sub expensis communis ciuitatis, vel loci cui præsentur per viros catholicos ad hoc electos à diœcesano si præsens fuerit, & fratribus supradictis, vel inquisitoribus, seu inquisitore in aliquo speciali carcere tuto, & securo, in quo ipsi soli teneantur seorsum à larronibus, & bannitis, donec de ipsis fuerit definitum.

*Pœna assignan-
tium non hæ-
reticis pro hæ-
reticis.*

Si quando aliqui, vel aliquę non heretici pro captis hereticis ipsis non contradicentibus fuerint assignati, vel se forsitan assignauerint, prædicti suppositi perpetuo carceri mancipentur, & heretici nihilominus reddi, & assignari cogantur, & qui hunc dolum fecerint iuxta legem prædictam bonis omnibus publicatis, in perpetuum relegetur.

*Capti heretici
iudicijs ecclie
sacris præsen-
tentur.*

Teneantur insuper Potestas, Capitaneus, Consules, vel Rector, seu quouis alij huiusmodi cum bono, & securo comitatu omnes hereticos quocumq; nomine censentur, infra dies quindecim postquam capti fuerint, diœcesano vel eius speciali Vicario, seu hereticorum inquisitoribus, vel inquisitori præsentare pro examinatione de ipsis, & eorum heresi faciendam.

*Damnatos de
hæresi recipi-
puniendos.*

Damnatos vero de hæresi per diœcesanum vel eius Vicarium, seu inquisitores, vel inquisitorem prædictos, Potestas, Capitaneus, vel alij eorum supradicti, vel eius, seu eorum nuntius specialis, eos animaduersione debita puniendos sibi relictos statim recipere teneantur.

Teneantur præterea Potestas, Capitaneus, Consules, aut Rector, vel alij huiusmodi omnes hereticos quos captos habuerint, cogere citra membri diminutionem, & mortis periculum tanquam verelatrores, & homicidas animarum, & fures sacramentorum Dei, & fidei Christianę, errores suos expresse fateri, & accusare alios hereticos quos sciunt, & bona eorum, & credentes, & receptatores, & defensores eorum, sicut coguntur fures, & latrones rerum temporalium accusare suos complices, & faceri maleficia quę fecerunt.

*Domus in qua
reperi sunt hæ-
retici destruatur.*

Domus autem in qua repletus fuerit hereticus, vel hæretica, sine vlla spe reedificandi funditus destruat; nisi Dominus domus eos ibidem procurauerit reperiri: & si dominus illius domus habuerit cum ea domos alias appendices, cum vna eademq; domus interdum diuersis, & coherentibus mansionibus distinguatur, omnes illę domus appendices, siue in domo illa siue in eius appendicibus hæreticus, vel hæretica deprehensus fuerit, similiter destruantur: & bona quę fuerint inuenta in domo illa, ipsiusque appendicibus (nisi forte legitime per testes fide dignos, & omni exceptione maiores, ipsa bona esse aliarum personarum quàm domini domuum earundem constiterit) publicentur, & fiant auferentium, nisi auferentes fuerint in huiusmodi officio constituti.

*Pœna eius in
cuius domo re-
peri fuerint
heretici.*

Et insuper dominus domus illius præter notam infamie perpetuę, quam incurrat, componat communi ciuitatis vel loci quinquaginta libras Prouenien. vel Imperialium, in pecunia numerata: quam si non soluerit, in perpetuum carcerem detrudatur.

Quę autem de domorum & appendicium destructione, bonorum publicatione, ac pœnarum impositione faciendam, dominis domuum earundem præmissa sunt, volumus obseruari: nisi forte diœcesano, vel in eius absentia ipsius Vicario, vnâ cum inquisitoribus, seu inquisitore hereticorum, vel soli ipsi diœcesano, quando inquisitorum vel inquisitoris præsentia de facili haberi non poterit, legitime constiterit præfatarum domorum dominos in hoc casu penitus innocentes, & prorsus inculpabiles extitisse: Ac etiam eos non esse credentes, vel receptatores, aut defensores, siue fautores hereticorum, seu de hæretica labe suspectos: quos nec in domibus vel appendicibus, nec in bonis eiusdem, seu quouis modo puniri volumus: si vt dictum est, apparuerint innocentes.

Burgus autem ille seu castrum, in quo heretici capti fuerint vel inuenti, componat communi ciui-

Ani ciuitatis vel loci in cuius districtu est, ceterum libras, & villa libras quinquaginta, & vicinia tam bur-
gi, quam castri & ciuitatis libras vigintiquinque Prouenien. vel Imperialium, in pecunia numerata
nisi infra quintum diem receptatores ipsorum captos præsentauerint Potestati, siue cuius alij præsi-
denti eiusdem regimini ciuitatis: nisi forsan per legitimas probationes diocesano, vel in eius absentia
ipsum Vicario, vnâ cum inquisitoribus seu inquisitore hæreticorum, vel soli ipsi diocesano, quan-
do inquisitorum vel inquisitoris præsentia de facili haberi non poterit, plene ac euidenter constiterit,
quod ipsos capere nullatenus potuissent: & eos ad captionem, & præsentationem huiusmodi facien-
das, sufficientem & congruam adhibuisse sollicitudinem, & cautelam.

Quicumque vere deprehensus fuerit dare alicui hæretico consilium vel auxilium seu fauorẽ præ-
ter aliam penam superius & inferius prætaxatam, ex tunc ipso iure in perpetuum sit factus infamis,
nec ad publica officia seu consilia, vel ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium ad-
mittatur. Sit etiam inrestituibilis, vt nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hæreditatis suc-
cessionem accedat. Nullus præterea ei super quocumque negotio, sed ipse alijs respondere cogatur.
P Quod si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliqua ad eius au-
dientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instru-
menta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti. Credentes quoque erroribus hæreticorum,
tanquam hæretici puniantur.

Testamenta eorum qui hæretici decesserunt, nullius volumus esse momenti.
Teneantur insuper Potestas, siue Capitaneus, Consules, seu Rector vel quiuis alius præsidens regi-
mini ciuitatis vel loci, nomina virorum omnium qui de hæresi fuerint infamati vel banniti, in quat-
tuor libellis vnus tenoris facere annotari: quorum vnum commune ciuitatis vel loci habeat, & aliũ
diocesanus, & tertium Fratres Prædicatores, & quartum Fratres Minores: & ipsorum nomina ter
in anno in concione publica solenniter faciat recitari.

Teneatur quoque Potestas seu Rector, vel quicumque regimini supradicto præfuerit, filios, & nepo-
tes hæreticorum, & receptatorum, defensorum, & fautorum eorum diligenter inuestigare: eosque ad
aliquod officium publicum seu consilium nullatenus admittere in futurum.

Teneatur præterea Potestas seu Rector, vel quiuis alius huiusmodi regimini præsidens, vnũ de as-
essoribus suis, quem elegerit diocesanus, si fuerit præfens, & inquisitores seu inquisitor prædicti au-
ditoritate Sedis Apostolicæ deputati, mittere cum eis, quandocumque voluerint, in iurisdictione ciui-
tatis vel loci ac eius districtu. Qui assessor secundum quod prædictis inquisitoribus, seu inquisitori
visum fuerit, ibi tres aut plures boni testimonij viros, vel totam viciniam (si eis videbitur) iurare com-
pellat, quod si quos ibidem hæreticos scierint, vel bona eorum, vel aliquos occulta conuenticula ce-
lebrantes, seu à communi conuersione fidelium vita & moribus dissidentes, vel credentes, aut de-
fensores, seu receptatores, vel fautores hæreticorum: eos dictis inquisitoribus siue inquisitori stu-
deant indicare.

Ipsi autem Potestas, Consules, siue Rector, seu quiuis alij regimini præsidens, purgare teneantur
ab hæretica fœditate ciuitatem vel locum, cui præfuerint, totamque terram vel districtum (ux ditio-
nis, secundum leges per quondam Fredericum, olim Romanorum Imperatorem, tunc in deuotione
Romanæ Ecclesiæ persistentem Paduæ promulgatas contra hæreticam prauitatem: & earum tenores
facere in suis annotari capitularibus, nullis inde temporibus abolendos.

Teneatur insuper Potestas, seu quiuis Rector ciuitatis vel loci quocumque vocabulo nuncupetur,
in destructione domorum & condemnationibus faciendis, & in rebus inuentis vel occupatis confi-
gmandis diuidendis, & de quibus superius dicitur, infra viginti dies postquam accusatio siue denun-
tatio facta fuerit, hæc omnia exequi cum effectu: & condemnationes omnes in pecunia numerata in-
fra tres menses exigere, & diuidere illas sicut inferius continetur. Et eos qui solvere non poterint, hæ-
no maleficij supponere, & donec soluant, in carcere detinere. Alioquin pro his omnibus & singulis
syndicetur sicut inferius continetur.

Insuper teneatur vnũ de assessoribus suis, quemcumque diocesanus, vel eius Vicarius, & dicti
inquisitores seu inquisitor hæreticorum voluerint, ad hæc peragenda fideliter assignare, & mutare pro
tempore, si eis visum fuerit opportunum.

Omnes autem condemnationes vel penæ, quæ occasione hæresis factæ fuerint, neque per concio-
nem, neque per consilium, neque ad vocem populi vllõ modo aut ingenio, aliquo tempore valeant
relaxari.

Teneatur insuper Potestas, Capitaneus Consul, seu quiuis alius rector, omnia bona hæreticorum,
& receptatorum eorum, quæ per dictos officiales fuerint occupata, seu inuenta: & condemnationes
pro his exactas: necnon & lignamina, & lapides, & tegulas domorum & turrium quæ occasione hære-
sis destruentur: & bona tam mobilia, quam immobilia, quæ eadem occasione confiscabuntur, diuide-
re tali modo. Vna pars deueniat in commune ciuitatis seu loci. Secunda in fauorem & expeditionem
officij detur officialibus, qui tunc negotia ipsa peregerint. Tertia ponatur in aliquo tuto loco, secun-
dum quod dictis diocesano, & inquisitoribus vel inquisitori videbitur referuanda, & expendenda per
consilium eorundem in fauorem fidei, & ad hæreticos extirpandos non obstante huiusmodi diuisioni
statuto aliquo condito, vel condendo.

pena eorum
qui hæreticis
auxiliantur.

Nomina dam-
natorum de hæ-
resi in 4 libris
annotentur.

Filij damna-
torum ad nullum
officium vel be-
neficium ad-
mittantur.

Magistratus fa-
culares terram
purgent ab hæ-
retica fœditate.

Condemnatio-
num executio
intra quot tem-
pus fieri de-
beat.

Penæ nullo mo-
do relaxentur.

Bona hæretico-
rum qualiter
quidantur.

Bona hereticorum confiscata vendantur, & per quos.

Teneatur præterea Potestas, vel Rector civitatis seu loci alterius, vendere bona fide, cum consilio & assensu inquisitorum vel inquisitoris, bona quæ confiscantur occasione hæreticæ pravitatis, infra tres menses post confiscationem huiusmodi: quod si non fecerit, præmissas penas eo ipso incurrat. Et nihilominus inquisitores, vel inquisitor libere vendere illa valeat, inquisito consilio diocesano, vel eius Vicarij, si præsens non fuerit, & duorum fratrum Prædicatorum & eorundem Minorum ordinum, quos prior & guardianus, si conventus ibidem fuerint, eorundem ordinem, ad hoc duxerint eligendos. Et emptores bonorum huiusmodi illa libere ac licite habeant & possideant: & verum ipsorum bonorum dominium, per emptionem huiusmodi transferatur ad ipsos.

pena non ferri hanc conditionem.

Si quis autem de cetero aliquid istorum statutorum, seu constitutionum attentaverit delere, diminueri, vel mutare, sine auctoritate Sedis Apostolicæ specialis: Potestas, Capitaneus, seu Consul, vel alius quivis Rector, qui pro tempore fuerit in illa civitate vel loco, teneatur eum tanquam defensores hæreticorum publicum & factorem, secundum formam præscriptam perpetuo publice infamare, atque punire in libris quinquaginta Præventionium, vel Imperialium in pecunia numerata. Quam si exigere non poterit, eum maleficij banno supponat: de quo eximi non valeat, nisi soluerit duplam dictæ pecuniæ quantitatem.

Qui Magistratus iure præcedentem Potestatem syndicat.

Teneatur sane Potestas, siue Capitaneus, Consul, seu quivis Rector infra duodecim dies sui regiminis syndicare præcedentem proximo Potestatem, Capitaneum, Consulem vel Rectorem, & eius etiã assessores, per tres viros catholicos, & fideles, quos infra tres dies regiminis supradicti eligant una cum diocesano Fratre Prædicatorum & Minore a suis Priore ac Guardiano pariter assignati, seu inquisitores vel inquisitor hæreticæ pravitatis de omnibus his, quæ in statutis istis, seu constitutionibus & legibus antedictis contra hæreticos & eorum complices editis continentur: & punire ipsos si excesserint in omnibus & singulis, quæ omiserint, & cogere restituere de propria facultate, non obstante si per aliquam licentiam Consilij vel alterius cuiuslibet, a syndicatione fuerint absoluti. Turabunt autem prædicti tres viri bona fide syndicare præfatos de omnibus supradictis.

Statuta his constitutionibus adversa delentur.

Cæterum teneatur Potestas siue Capitaneus, Consul, aut quivis Rector cuiuslibet civitatis vel loci, delere seu abradere penitus de statutis, & capitularibus Communis, quodcumque statutum conditum vel condendum inveniatur contradicere istis constitutionibus seu statutis & legibus memoratis, siue quomodolibet obviare. Et in principio, & in medio sui regiminis hæc statuta seu constitutiones & leges ipsos in publica concione solemniter facere recitari: & etiam in alijs locis extra civitatem suam seu locum, siue diocesani, seu inquisitoribus siue inquisitori videbitur expedire.

Hæc constitutiones publice recitentur. Exdem in 4. libris scribantur.

Porro hæc omnia statuta seu constitutiones, & leges præfate, & si quæ alia contra hæreticos & eorum complices tempore aliquo auctoritate Sedis Apostolicæ conderentur, in quatuor voluminibus vnus debeant tenoris contineri, quorum vnum sit in statuto communis cuiuslibet civitatis seu loci: secundum apud diocesanos; tertium apud Fratres Prædicatorum; quartum apud Fratres Minores cum omni sinceritate seruentur, ne possint per falsarios in aliquo violari. Datum Perusij iij. Non Nouemb. Pontificatus nostri anno primo.

De Cur. Ger. p.

N I C O L A V S III.

Pars multe feruntur in hereticos & eorum complices, quæ etiam continentur in titulis de hereticis in Decretalibus & Sexuo. Eiusdem argumenti prorsus extat aliud rescriptum Gregorij IX. Innocentij III. & Alexandri III. relata ab Eymeryco in directorio inquisitorum pariz.

Edita anno Domini 1181.

Ex Archivo Inquisitionis Bononiensis.

Excommunicamus e. de hereticis.

N I C O L A V S Episcopus servus servorum Dei; vniuersis Christi fidelibus, Salutem & Apostolicam benedictionem. **N** O V E R I T vniuersitas vestra, quod nos excommunicamus & anathematizamus vniuersos hæreticos Catharos, Patariolos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosepianos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscumque nominibus censentur, facies quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in id ipsum. Damnati vero per Ecclesiam seculari iudicio relinquuntur animaduersione debita puniendi. clericis prius a suis ordinibus degradatis. Si qui autem de prædictis postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam condignam penitentiam in perpetuum carere detendantur. Credentes autem eorum erroribus, similiter hæreticos iudicamus. Item receptatores, defensores, & fautores hereticorum excommunicationis sententiæ decernimus subiacere. Similiter statuentes vt si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum extunc ipso iure sit factus infamis; nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis; nec testamenti habeat factionem; nec ad hæreditatis successorem accedat. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse alijs respondere cogatur. Quod si forte iudex extiterit, eius sententiâ nullam obtineat firmitatem: nec cause aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti, sed eum auctore damnato